

plurimis in locis consuetudo sit, ut illi qui determinationi diei adfuerunt, denuo vocentur (1).

IV. Convocantes capitulum, uti valent quacumque persona pro capitulo indicendo capitularibus, nec non quocumque notario in casu, quo cursores et cancellarius suum officium præstare recusant (2).

V. Convocando capitulum, bonum est annuntiare negotium pertractandum, nisi sit de secretis. At melius videtur, negotium in una congregatione proponere, et resolutionem in alteram differre (3). Si res differri nequeat, triduo saltem ante, et res et causa significetur: si adhuc citius sit agendum, præmoneantur omnes (4). Licet autem expediat indicare, quid in capitulo sit agendum, non tenetur tamen convocator illud notum facere, quia capitularibus liberum est, audita materia ad deliberandum proposita, dilationem petere, ad consultius respondendum. In hac etiam materia attendenda sunt statuta et consuetudo ecclesiarum (5).

§ 6. Quo loco capitulum convocandum.

I. Locus capituli debet esse certus et determinatus, honestus, commodus, non clandestinus, liber et non impeditus, ad quem tutus patet accessus, quo capitulares libere convenire possunt, ac ubi secure permanere valent; in ecclesia seu ecclesiæ contiguus, videlicet in sacristia vel intra ambitum ecclesiæ, non autem in choro, nisi forte esset consuetudo, et sine strepitu et scandalo fieri posset (6).

II. Juxta nonnullos doctores capitulum de jure etiam celebrari debet in ecclesia, in loco ad hoc determinato, et sine justa causa ad alium locum transferri nequit (7); juxta alios autem locus, in quo

(1) Reiffenstuel lib. 1. tit. VI, n. 117; Louvrex dissert. IV, n. 46.

(2) S. C. C. *Melevitana*, 18 Sept. 1723, dub. 4, apud Zamboni, *Capitulum eccl.* § 1, n. 9.

(3) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, n. 29 et 30.

(4) Gavantus, *Manuale Ep. Capitulum*, n. 25 et 26.

(5) Scarfantonus loco cit. animadv. 20-27; Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 6, 57 et 58; Bouix p. 1, sect. IV, c. IV, n. V.

(6) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, n. 63, et animadv. 1, 6 et 7, tit. II, n. 3; Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 28 et 41.

(7) Fagnanus in 2 p. lib. V, Decretal. c. *Cum ex injuncto*, n. 17; Leurenus, *For. eccl.* tit. XI, lib. III, decret. n. 128, apud Bouix de capitulis p. 1, sect. IV, c. 2.

capitulum se congregare debet, in jure non est præfinitus, neque locus certus est de substantia capituli; ideoque nulla existente causa, locus per majorem partem capituli mutari potest (1): ratio est, quia, ubi capitulares legitime congregati sunt, dicitur adesse capitulum, et valide expletur actus capitularis (2). Unde justa causa sufficit, ad capitulum in alium locum convocandum, ibique celebrandum; juxta priorem tamen sententiam convocatio et celebratio regulariter fieri debent in loco solito: juxta posteriorem autem sententiam, si capitulum alibi convocatum sit, actus hoc nomine impugnari non potest, eo quod capitulum non sit convocatum in loco consueto (3). Dummodo id non fiat in fraudem, notificetur aliis de collegio, locus alioquin sit honestus, et non clandestinus, tutusque ad illum accessus (4).

III. Si Episcopus pro servitio ecclesiæ velit alloqui nonnullos canonicos particulares, hi vocati tenentur accedere ad palatium Episcopi (5).

Si vero Episcopus capitulo aliquid proponere velit, tenetur adire consuetum capituli locum. Præsupposita enim dubitatione in causa Palentina, an Episcopus volens aliquid in capitulo proponere, teneatur accedere ad ecclesiam, et locum solitum deputatum; an vero illud in ædibus propriis convocare possit: Sacra Congregatio prius respondit, quod, quando Episcopus vult aliquid proponere canonicis ad deliberandum, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agitur, solus Episcopus privative, ad quoscumque, potest convocare capitulum, idque in domibus suis: postea vero auditis utrimque rationibus, partiumque advocatis et procuratoribus, ab omnibus in hanc sententiam itum est, ut Episcopus non possit domi suæ capitulum convocare, sed ad aulam capitularem, in qua antea semper solitum fuit capitulum, convenire (6). Licet autem stricte loquendo, capitulum ad aulam Episcopalem accedere non teneatur, nihil tamen obstat neque prohibet,

(1) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 2; Cardinalis Petra, *Comm.* in 1, *Const. S. Leonis Magni* sect. 2, n. 21.

(2) Scarfantonus loco cit. Andreucci n. 210.

(3) Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 42.

(4) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 1.

(5) Scarfantonus lib. 1, tit. 1, n. 35.

(6) Ita Fagnanus in 2 p. V. Decretal. c. *Cum ex injuncto*, n. 18; Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 29; Barbosa de canonicis, cap. XXXV, n. 10 et 11; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, n. 36 et animadv. 35; Andreucci n. 210.

quominus omnibus consentientibus, illuc libere accedat, seque Episcopi sui arbitrio libenter accommodet.

Si invalisset consuetudo capitulum celebrandi in aula Episcopali hæc etiam servanda est. Unde cum capitulum Turritanum solitum esset congregari in aula palatii Archiepiscopalis, censuit Sacra Congregatio Concilii (1) servandam esse consuetudinem, nec eidem capitulo licere alibi se coadunare. Imo denuo supplicantibus iisdem canonicis declarari, an etiam quando in capitulis agendum est de negotiis concernentibus interesse Archiepiscopi, teneantur capitulum celebrare in eadem aula, ipso Archiepiscopo seu vicario præsentem, vel potius sit eis permissum alibi celebrare pro libertate votorum. Die 14 Junii 1651 Sacra Congregatio Concilii respondit, *locum aulae archiepiscopalis non esse immutandum; sed quando agendum de interesse privato ipsius Archiepiscopi, ipsum et ejus vicarium ab interessentia in capitulo* (2).

IV. Ex causa necessitatis, cum capitulum tuto convenire non potest in ecclesia sive loco capitulari, nulli dubium est, quin de jure ad alium locum transferri possit, ut patet ex c. *In nomine Domini*, quod huic casui applicari solet, dist. XXIII, c. 1, circa medium: § 5. *Quod si pravorum atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera, atque gratuita fieri in Urbe non possit electio, cardinales episcopi cum religiosi clericis, catholicisque laicis, licet paucis, jus potestatis obtineant, eligere Apostolicæ Sedis Pontificem, ubi congrue viderint.*

Justa inter alias causa transferendi capitulum ad alium locum est repulsio Episcopi vel rebellio contra ipsum, ut in diocesi Leodiensi concessa fuit facultas transferendi capitulum, ubi expedire videbatur. Ratio est, ut expresse dicitur dist. XII, c. I, quia *non decet a capite membra discedere; sed juxta Sacræ Scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur*. Caput autem est Episcopus, et membra sunt canonici, uti dicitur lib. III Decretal. tit. X, de his quæ fiunt a Præl. c. IV: *Novit tuæ discretionis prudentia, qualiter tu et fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, et illi membra esse probantur. Unde non decet te omissis membris, aliorum consilio in ecclesiæ tuæ negotiis*

(1) 26 Nov. 1650 in *Turritana*.

(2) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 4 et 35; Andreucci de tuenda pace n. 210; Bouix de capitulis p. 1, sect. IV, c. 2.

*uti*. Quare si Episcopus impediatur se conferre ad ecclesiam cathedralam, necesse est, ut capitulum alio convocari possit (1).

### § 7. Quo tempore capitulum celebrandum.

I. Capitulum quolibet tempore opportuno celebrari potest; magis autem opportunum videtur post vespervas et completorium, sive post finitum officium. Non est bonum fieri capitulum ante officium, illoque terminato repente chorum ingredi ad recitandum officium divinum (2).

II. Non congruit coadunare capitulum diebus festis, nisi adeo urgens subesset causa, ut differri nequeat. Quod si dies capituli ordinarii incidat in diem festum, transferendum est capitulum in sequentem diem (3).

III. Capitulum haberi nequit tempore missæ conventualis, horarum canonicarum et officiorum divinarum, nisi res ob urgentes aut repentinas causas moram non patiat, sicut declaravit Sacra Rituum Congregatio (4): « Episcopum posse id prohibere juxta » aliam similem declarationem factam ab eadem S. Congregatione » in una Ulixiponen, sub die 17 Nov. 1600, in qua declaravit, non » esse celebrandum capitulum, dum Missa seu horæ canonicæ in » ecclesia celebrantur: idque etiam fuit decretum in Conciliis » Basiliense, Coloniense et Mediolanense et aliis: ita ut canonici » contravenientes puniantur in amissione quotidianarum distributionum, nisi adesset urgentissima causa vel maxima necessitas. » Prout etiam respondit Sacra Congregatio Concilii (5): « Capitulum non esse habendum eo tempore, quo officia divina » celebrari debent, nisi causa aliqua urgens in aliud tempus differri non patiat: quod si secus fiat, canonicos nequaquam » lucrari distributiones quotidianas pro illis horis, quibus divinis » non interfuerunt, et eo casu Episcopum posse sine conjudicibus » contra canonicos procedere ad subtractionem fructuum, et ad

(1) Fagnanus in 2 p. lib. V, Decretal. c. *Cum ex injuncto*, n. 21 et seq. Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 30 et 31; Louvrex dissert. XVIII, n. 71.

(2) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, n. 62; Castaldus praxis cærem lib. 1, sect. VIII, c. III, n. 6.

(3) Scarfantonus loco cit. n. 59-61; Castaldus loco cit. n. 1.

(4) 10 Junii 1602, *Egitanien*. ad 1.

(5) 27 Mart. 1632, dub. 11, in *Oriolen*. apud Zamboni *Capitulum eccl.* § 1, n. 2.

« mulctas ab eo impositas » (1). Quapropter S. R. Congregatio respondit et declaravit, celebrationem capituli in aliud magis opportunum tempus rejiciendam esse, non obstante statuto et consuetudine quacumque (2).

Capitulum similiter haberi nequit infra recitationem primæ post orationem, dicto *Benedicamus*, prout S. R. Congregatio respondendum censuit : « In prima post *Benedicamus* statim legatur » martyrologium et *Pretiosa* cum sequentibus, quibus omnibus « expletis, capitulum habeatur » (3).

Notandum tamen est, acta et gesta in capitulis et congregationibus tempore divinorum officiorum celebratis, non esse nulla, sed tantum illicita sub pœna amissionis distributionum illius horæ (4).

IV. Hinc etiam inferitur, non licere fieri congregationes particulares commissariorum capituli, nec beneficiatos in ecclesiæ negotiis et rebus, quæ alias commode fieri possunt, occupari posse, dum officia divina celebrantur, quamvis oporteret alias eis constituere aliquod stipendium seu salarium; sicuti pariter licitum non esse, facere rationes et computa bonorum et reddituum mensæ vel fabricæ, dum divina celebrantur (5).

#### § 8. Quinam ad capitulum vocandi sunt.

I. Nulla capituli nomine edi potest resolutio, nisi omnibus legitime vocatis, qui capitulum constituunt (6).

II. Ad capitulum ordinarium celebrandum, nemo regulariter vocandus est, quia omnes sciunt tempus et horam, ac modo velint, eidem interesse possunt. Canonicus igitur sibi ipsi imputare debet si eo absente seu potius interesse nolente, aliquid capitulariter tractetur, atque decidatur, saltem loquendo de negotiis ordinariis minusque arduis. Quando autem in capitulo ordinario tractandum assumeretur negotium arduum, atque de jure requirens convoca-

(1) S. R. C. 14 Dec. 1602, *Conimbricen*; 12 Junii 1628, *Dertusen*; 5 Julii 1631, *Turritana* ad 10; 11 Maji 1641, *Vallisoletana*; Barbosa c. XXXV, n. 14 et 15; Lucius Ferraris *Capitulum* art. 1, n. 32; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, n. 56.

(2) 22 Januarii 1678, *Guadicen*. ad 5.

(3) 17 Nov. 1592, *Avulen*. ad 4.

(4) Barbosa de canon. c. XXXV, n. 16.

(5) Scarfantonus lib. 4, tit. 1, animad. 49; Barbosa de canon. c. XXXV, n. 16.

(6) S. C. C. 29 Feb. 1744, § 10, *Nic.* apud Zamboni tom. 4, *Capitulum*, § X.

tionem capituli; singulis capitularibus id prævie indicandum, eorumque citatio facienda foret: alioquin enim, etsi scirent, hodie futurum capitulum ordinarium, nescirent tamen, in eo tractandum esse negotium arduum; ejus decisioni forte etiam ipsi interesse voluissent, si illud tractandum fore præcognovissent. In hoc tamen puncto attendenda est antiqua et laudabilis consuetudo cujuslibet ecclesiæ, juxta generalia juris principia de consuetudine tradi solita (1).

III. Ad capitulum extraordinarium convocandi et citandi sunt canonici vocem habentes in capitulo, præsentés in civitate vel loco, ubi sita est ecclesia cathedralis (2). Soli autem canonici vocandi sunt, quia soli canonici capitulum constituunt; omnes tamen vocandi sunt, modo vocem habeant, et præsentés in loco fuerint. Qui voce carent, v. g. ob defectum ordinis sacri, etsi capitulo interesse possint, ad illud tamen necessario convocandi non sunt, eique assistere non debent.

Hinc sequitur dignitates ad capitulum convocari non debere, nisi sint canonici, vel nisi ex speciali statuto, fundatione, aut consuetudine de capitulo habeantur (3). Idem dicendum est de mansionariis, portionariis, beneficiatis, capellanis, vicariis et similibus, qui de jure non sunt de capitulo, et proinde ad illud per se convocandi non sunt, ut dictum est cap. XII, § 1, n. III.

Si aliquis capitularis dixerit, se nolle hujusmodi capitulo interesse, non est de necessitate ad id vocandus juxta Ceccoperium (4), cum supponatur ejusdem esse animi, licet juxta Reiffenstuel (5) qui interesse nolunt, citari quidem debent, non autem compelli, cum juri suo libere renunciare possint.

Qui ad locum capituli accedere non audent ob timorem inimicorum potentium, citandi sunt, ut si velint, procuratorem constituent (6).

IV. Ad extraordinarium igitur capitulum convocandi sunt canonici præsentés, num autem absentes, sub quorum nomine veniunt non residentes in loco, ubi est ecclesia, inquirendum est.

Non est de substantia, quod vocentur absentes; nam actus capi-

(1) Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 8.

(2) Reiffenstuel lib. III, tit. XI, § 1; Lucius Ferraris *Capitulum*, art. 1, n. 44.

(3) Lucius Ferraris loco cit. n. 46. Vid. cap. VI, § 2, ad 4.

(4) Lib. IV, tit. II, n. 43.

(5) Lib. I, tit. VI, n. 117.

(6) Ceccoperius loco cit. n. 44.

tulares ex omissione convectionis seu ex contemptu aliquorum non modo non sunt nulli ipso jure, sed nec debent irritari, nisi ipsis, non vocatis, prosequentibus contemptum (1).

Absentes tamen vocari debent in his tribus casibus, 1<sup>o</sup> in electione praelati (2); 2<sup>o</sup> in receptione canonicorum et collatione prae-bendarum et beneficiorum (3); 3<sup>o</sup> in cessatione a divinis (4). Quamvis autem absentes ad capitulum necessario vocari non debeant nisi in tribus praedictis casibus, auctores tamen hoc extendunt ad omnes casus consimiles, et generaliter addunt, quod, ubicumque negotium est arduum et grave, absentes semper vocandi sint, modo commode fieri possit, periculum non sit in mora, nec habeatur consuetudo contraria (5). Sicut consuetudo introducere potest, quod absentes etiam in tribus supradictis casibus non vocentur (6); ita etiam standum est statuto confirmato et consuetudini introductae, quod absentes convocentur ad capitulum in cunctis factis gravibus; et jure merito, quia consilia plurimorum majoris sunt auctoritatis (7).

Quod autem absentes in istis casibus vocentur, limitandum est, modo non sint remoti: ecclesiastica enim consuetudo non exidit, ut remoti vocentur (8). Quapropter juxta Reiffenstuel vocandi non sunt qui sunt extra provinciam; seclusa autem speciali locorum consuetudine, ac loquendo in rigore juris communis, omnes illi vocandi sunt, qui existunt in provincia, simulque commode vocari possunt juxta lib. 1. Decretal. tit. VI, de elect. c. XXXV, *Coram dilecto*, ubi dicitur *Fratribus omnibus qui fuerint in provincia convocatis*. Juxta alios autem vocandi sunt illi, qui in eo sunt loco, unde intra statutum tempus commode venire possunt, sive

(1) Lib. 1, Decretal. tit. VI, de elect. cap. XXVIII, *Quod sicut*; c. XXXVI, *Bona memoriae*; Fagnanus in 2. p. V. Decretal. de novo op. c. *Cum ex injuncto*, n. 51; Scarfantonus lib. IV, tit. II, n. 64.

(2) Lib. 1, Decretal. tit. VI, de elect. cap. 42, *Quia propter*.

(3) Sexti Decretal. lib. III, tit. IV, de praeb. c. XXXIII, *Cum in ecclesiis*.

(4) Lib. 1, Sexti Decretal. tit. XVI, de off. ordin. c. VIII, *Quamvis super*; Fagnanus loco cit. Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 10; Scarfantonus lib. IV, tit. II, n. 49-54; Barbosa de canon. cap. XXXIX, n. 1; Engel lib. III, tit. XI, n. 2; Louvrex dissert. VII, n. 12.

(5) Reiffenstuel loco cit. Scarfantonus loco cit. n. 55 61; Barbosa et Engel loco cit. Louvrex dissert. XVIII, n. 8 et 10.

(6) Sexti Decretal. lib. III, tit. IV, de praeb. c. XXXIII, *Cum in ecclesiis*; Lucius Ferraris *Capitulum*, art. III, n. 48.

(7) Ita Scarfantonus loco cit. Louvrex dissert. IV, n. 49 et seq. dissert. XVIII, n. 8 et 10.

(8) Lib. 1, Decretal. tit. VI, de elect. c. XVIII, *Cum inter*.

locus ille sit intra dioecesim vel provinciam, sive non; quia contingere potest, ut existens in provincia vel dioecesi magis distet, quam existens extra illam (1). Et juxta alios, absentes a civitate de jure nequidem vocandi sunt, praesertim si extet consuetudo, qua numquam advocantur canonici extra civitatem commorantes (2). Caeterum de quo loco absentes vocari debeant, standum est consuetudini locorum (3). In praxi vero bonus judex arbitrabitur, quando et a quo loco vocandi sint absentes, qui tamen in non vocando observabit consuetudinem, et in vocando vitandum periculum, quod quandoque adesse potest. Postquam vero per ipsum fuerit conclusum ac determinatum, qui commode vocari nequeant, sine eorum praesentia procedere licet (4).

Praeterea vocari non debent absentes ex propria culpa, puta quia propter delictum, vel quod adhaeserint hostibus patriae aut ecclesiae, expulsi et relegati fuerint (5).

#### § 9. Jus et obligatio capitulo assistendi.

I. Canonici capitulo assistere tenentur, cum enim capitulorum celebratio necessaria sit ad rectam ecclesiae gubernationem, singulis membris etiam inest obligatio iisdem assistendi, cum sine eorum conventu capitulum haberi nequeat. Canonice officium praecipue quidem consistit in ecclesiae et chori servitio, consistit tamen etiam in bono regimine ecclesiae et capituli, sive quoad spiritualia sive quoad temporalia, et sic eos afficit obligatio assistendi capitulis ad satisfaciendum huic muneri. Nec refert, quod hujusmodi administratio et gubernatio incumbat canonicis et capitularibus, non ut singulis, sed ut universis, id est, ut pertinent ad universitatem capituli, et sunt pars illius: nam ut parti capituli currit unicuique praedicta obligatio: alias si quilibet in singulari non teneretur assistere capitulis, alii etiam possent id facere, cum non sit major ratio de uno, quam de altero; et sic posset deficere

(1) Louvrex dissert. IV, n. 50 52.

(2) Pallottini, *Capitulum* § 1, n. 93 et 94.

(3) Fagnanus in 2 p. lib. V, Decretal. de novo op. c. *Cum ex injuncto*, n. 53; Reiffenstuel lib. 1, tit. VI, n. 118; Pallottini *Capitulum*, § 1, n. 95.

(4) Reiffenstuel loco cit. n. 119.

(5) Reiffenstuel loco cit. n. 116; Louvrex loco cit. n. 54.

bonum regimen ecclesiae et capituli (1). Licite tamen abesse possunt dato legitimo impedimento aut justa habita causa, v. g. tempore legitimae vacationis, si tempore insolito vel incongruo vocentur, etc. (2).

Qui capitulo interesse negligunt, aliqua mulcta compelli possunt (3). Si adsint negotia necessaria, capitulares, poenis appositis, convocari possunt (4); et si utilitas vel necessitas ecclesiae id exigat, absentes compelli possunt, ut veniant, eo quod commune bonum ecclesiae præponderet privato, et capitulares vi muneris sui ad illud promovendum teneantur (5).

II. Sicut canonici capitulo assistere tenentur, sic etiam curare, ut tempore et hora statuta adsint. Si tempore præfixo non adsint, de rigore juris non sunt expectandi, licet conveniens sit paululum expectare capituli caput aut notabilem canonicorum partem, quando verisimiliter credi potest, illos legitima causa, v. g. pluvia impeditos fuisse (6).

III. Quod si nonnulli legitime vocati, tempore statuto ad locum capitularem non accesserint, sive se congregare non curaverint, sive etiam noluerint; eorum ratio habenda non est: cæteri constituunt capitulum, et gesta ab his valent, ac si ab omnibus acta fuissent, etiamsi qui convenerunt, essent in minori numero duarum partium ex tribus. Ratio est, quia venire nolentes, alienos se faciunt, et convocatio facta per auctoritatem, comparere renuentes constituit in contumacia, et uti contumaces habentur pro illa vice quoad illum actum, ac si non essent de capitulo (7).

IV. Sicut autem canonici capitulo assistere tenentur, sic etiam gaudent jure eidem assistendi, ita ut omnes canonici vocandi ad capitulum, necessario etiam convocandi sint, et alias actus vel sit nullus vel saltem irritabilis, ut mox explicabitur.

Ad capitula extraordinaria non convocatis cunctis qui existunt

(1) Barbosa de canonicis, c. 40, n. 1; Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 9; Scarfantonus lib. IV, tit. IV, n. 1 et seq.

(2) Barbosa loco cit. n. 4-7.

(3) S. R. C. 17 Nov. 1592, *Abulen.* 4.

(4) S. R. C. 7 Ap. 1598, *Abulen.*

(5) Reiffenstuel lib. I, tit. VI, n. 117; Louvrex dissert. XVIII, n. 72.

(6) Scarfantonus lib. IV, tit. II, n. 44-47; Barbosa de canon. cap. 39, n. 8; Louvrex dissert. IV, n. 41.

(7) Lib. I, Decretal. tit. VI, de elect. c. XIX, *Cum nobis* et c. 42, *Quia propter*; Scarfantonus lib. IV, tit. II, n. 10-12 et animad. 34; Reiffenstuel lib. I, tit. VI, n. 117, et lib. III, tit. XI, n. 9.

in loco, ubi sita est ecclesia, actus capitulares nullius remanent vigoris, nisi saltem duæ partes vocandorum fuerint in capitulo, et qui non fuerunt vocati, non reclament. E. g. sunt viginti quatuor habentes vocem, qui volunt et possunt capitulo extraordinario interesse, ex quibus coadunantur quindecim, non vocatis aut citatis novem; tunc acta remanent ipso jure nulla, et nequeunt convalidari ab iis, qui non fuerunt intimati: namque necessarium erat aggregari saltem duas partes, nempe sexdecim (1), ut dicitur § 20.

Si vero duæ tertiæ partes, seu sexdecim ex viginti quatuor capitulariter adunati fuerint canonici, non accersitis reliquis octo; actus capitularis per se non est nullus, sed irritabilis ad reclamationem absentium seu non vocatorum, quidquid a duabus partibus conclusum fuerit (2).

Imo unicus et quisvis canonicus vocandus et non accercitus, potest tanquam contemptus rescindere facere totum id, quod a cæteris omnibus de capitulo resolutum fuerit. Siquidem in actibus collegii plus nocet contemptus unius, quam contradictio multorum, qui vocati venerunt ad capitulum. Ratio est, quia iste contemptus est contra justitiam, cum sine causa ablatum sit jus contempti, qui si fuisset præsens, forsitan traxisset alios in suam sententiam (3).

Similiter contemptus etiam dicitur ille canonicus, qui fuit vocatus, sed non expectatus juxta solitum, vel absque causa in capitulum non admissus (4).

Advertendum autem est, canonicum aut canonicos contemptos, propter bonum pacis postea consentire posse, et acta capituli ipsius absentibus facta, admittere, approbare et ratificare, ac si ipsius præsentibus resoluta fuissent (5). Quod si consentire noluerint, tempore et modo debito contradicere et reclamare debent. Ad appellandum decem tantum dies a jure conceduntur; ad contradicendum autem juxta nonnullos datur sex mensium spatium a die scientiæ actorum (6). Eo vero tempore, quo contradicere valent, elapso, actum capitularem confirmare censentur.

(1) Ita Scarfantonus lib. IV, tit. II, n. 30 et 31.

(2) Scarfantonus loco cit. n. 32 et 33.

(3) Lib. I, Decretal. tit. VI, de elect. c. XXVIII, *Quod sicut*, et c. XXXVI, *Bonæ memoriæ*; Scarfantonus loco cit. n. 34-36; Reiffenstuel lib. I, tit. VI, n. 115; Schmitz lib. III, tit. XI; Engel lib. III, tit. XI, n. 4; Bouix de capitulis p. I, sect. IV, c. I, § 1, n. 2.

(4) Scarfantonus loco cit. n. 37.

(5) Lib. I, Decretal. tit. VI, c. XXVIII, *Quod sicut*.

(6) Scarfantonus loco cit. n. 39. Vid. § 21, ad VII.